

1457 November 1, Innsbruck.

Nr. 5390

Gf. Heinrich von Lupfen<sup>1)</sup> an NvK. Er bedaure den Streit zwischen Hz. Sigismund und NvK und hoffe, dass durch die Vermittlung des B. von Chur und der anderen Räte, eine Mäßigung des NvK vorausgesetzt, eine baldige und dauerhafte Lösung herbeigeführt werde. Hierfür bietet er auch seine Dienste an.

Or. Pap. (Siegelreste rückseitig). INNSBRUCK, TL A, Sign. LX 62 f. 116 (Nr. 70).

Reverendissime in Christo pater et domine, domine michi multo dilecte. Post commendacionem humilem. Coepi litteras vestre r. paternitatis super negocio differencie inter eandem et illustrem principem dominum Sigismundum Austrie etc. ducem, dominum meum gratiosum, exorte et illam plene intellexi. Que discordia, si ita dici meretur, michi profecto molesta est. Attamen spero ex accurata 5 reverendi patris et domini, domini Leonhardi<sup>2)</sup> Curiensis episcopi ceterorumque consulum diligentia, qui illo interfuerent negotio, denuo omnia felicius tractari ad unitatemque et pacem longevam reduci, si ingenium atque prudentia vestra animum suum ad tranquillitatem disponere voluerit. Quod si fiet, confido procul dubio, deo largiente, tales discordias in laudabilem et commendabilem amiciciam nexum- 10 que amoris perpetui posse converti sicque firmari, ut de cetero ne huiuscemodi rixe dissensionesque insurgere valeant et exoriri. Et que p. v. r. per me fieri posse credit, iubeat; paratus enim sum ea execui, que grata fore novero vestre reverendissime p., cui me et offero et commendo. Ex Insprukg in festo 15 Omnit Sanctorum anno domini etc. quinquagesimo septimo.

Hainricus comes de Luphen

(Adresse rückseitig) Reverendissimo in Christo patri ac domino, domino Nicolao tituli sancti Petri ad 15 vincula presbytero cardinali, Brixinensis ecclesie dignissimo antistiti, domino et patri dilecto.

---

9 ne: ü.d.Z.

---

<sup>1)</sup> Gf. Heinrich von Lupfen, Rat Hz. Sigismunds.

<sup>2)</sup> Leonhard Wiesmair, B. von Chur.